



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 29. Diversæ Constitutiones Urbani VIII. Papæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

§. XXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1628.*Diversæ Constitutiones Urbani VIII.
Pape.*

Hoc item anno Urbanus VIII. Papa, Bullar. Magn. Const. Urban. VIII. t. 4. & 5.
 præterquam quod aperto Indulgentiarum thesauro ad pacem a Deo inter Christianos Principes impetrandam, jejunium, preces, & supplicationes toto Orbe Christiano indixerit, insuper plures alias Constitutiones edidit, & quidem die vigesima tertia Martii Clementis VIII. Constitutionem, qua non Sacerdotes, si Missas celebrant, vel confessiones excipiunt, profano Tribunali tradendi decernebantur, ad omnes, dummodo vigesimum ætatis annum compleverint, extendit: compertum enim habebat Pontifex, quod nonnulli sub minoris ætatis obtentu præfatam Constitutionem transgressi fuerint. Die autem nona Augusti Papa diploma edidit, quo declaratum, quod Fratres Capuccini ad laxiorem Ordinem sine Sedis Apostolicæ, ad Carthusianum vero sine Ministri Generalis licentia transire nequeant. Sequentis vero Mensis die duodecima omnia Privilegia quibuscunque concessa audiendi Sæcularium confessiones sine Ordinarii examine & approbatione revocavit, excom-
 muni-

Sæc. XVII. A. C. 1628. municationem quoque die trigesima prima Octobris interminavit in eos, quæ S. Reliquias ex Ecclesia vel libros ex Bibliotheca Fratrum Minorum Romæ agentium extraxerint. Prius vero die undecima ejusdem Mensis Fratribus de Redemptione Captivorum indulgentiam ut officium & Missam de sancto Petro Nolascio recitare valeant.

§. XXX.

Varia decisiones Sacrarum Congregationum.

*Congr. Trid.
Episc. Rituum &c.*

Prodiere insuper plures sacrarum Congregationum Constitutiones, quæ quidem sacra Rituum Congregatio die vigesima nona Januarii declaravit, quæ Baldachinum Abbatis sine auro sit, & ad summum ter in anno adhiberi valeat, nec etiam Abbati celebranti plusquam una Mitra concedatur, Missaque solemnis Abbatialis non nisi ter in anno sit canenda, & tum quidem non cum septem, sed duntaxat cum sex candidis labris, & Abaco parvo. Decidit quoque die vigesima octava ejusdem Mensis sacra Episcoporum Congregatio, quod qui in rixa alicui dicit: *distingue gladium*, eodemque tempore infligit quosdam ictus, non incurrat excommunicationem in duellantes latam.

Exor-